

22
A.
THESES THEOLOGICÆ,
DE PECCATO TVM AN-
gelorum, tum Hominum;

Quarum ὁρθοδοξίαν,
AUXILIANTE SPIRITVS SANCTI GRATIA,

PRAESEIDE DANIELE
ARCULARIO, S. THEOLOGIAE
Doctore, & ejusdem in Academia Mar-
purgensi Professore.

PRO CONSEQUENDO IN THEOLO-
gia Doctoris gradu;
E SACRIS SCRIPTURIS PRO VIRILI
afferet ac propugnabit,

JOHANNES MOLHERVS
BATTIMONTANVS, HEBRAEAE LINGVÆ
in eadem Academia Professor.

28. Martii, loco & hora solitis.



MARPURGI CATTORUM,
Excudebat Paulus Egenolphus, Typographus Academicus.

Io cIo xcV.

30.7

THESEZ THEOLOGICA
DE ADOQUITO ETIA

PROLEGOMENON
CENSUS HISTORIC
Dogmatis Christianae Mie
Primum Theologie
Secundum Contra Iudaeos
TERTIUM Scripturis pro Vetus
TESTAMENTO

ANTRALOGIAE
Ex quatuor evanescere omittitur
Quatuor in primis etiam

ANTRALOGIAE
Vox clavis

XIIII

THESES THEOLOGICÆ.

DE PECCATO TUM AN- gelorum, tum hominum.

THEISIS I.

PECCARE est Hebræis chatá, quasi dicas, min- Omnia He-
bachut natáh, hoc est, à filo vel per pédiculo ab- bræorū voca-
errare; quod facere solent opifices, qui nō satis bula, que pec-
accuratè regulam in operis suis observandam, catum signi-
sequuntur: aut à präfixo scopo, qui tangendus ficant, gene-
erat, deflectere; quemadmodum Jud. 20. v. 16. Benjamitæ ralia sunt, utz
tām periti funditores perhibentur, ut ne quidem à pilo quis- aven, aschā,
quam eorum (iachati) aberrarit. begæd, pæ-
scha, avon,
avel, raah,

2. Significanter igitur vim Hebrææ vocis chét, expressisse rescha, &c.
videtur Paulus, Gal. 6. v. 1. dum peccatum reddit ταργάμα, modo tamen
quasi dicas excessum: ut si quis à proposita meta, ad quam significandi
contendebat, exorbitet ἡ ταργάμη. Et eleganter opponit differunt.
τῷ ταργάματῷ συχεῖν κανόνι, v. 16. quod significat recto &
inoffensio pede incedere, quod Gal. 2. v. 14. est ὅποι ποδεῖν.

3. Latinis peccatum dici volunt, quasi pellicatum, à pelli- Olim pecca-
ciendo; pro quovis tamen delicto accipitur. Hebræorum tus in 4. decl.
imitatione quandoq; piaculum & hostiam expiatoriam si- dicebatur.
gnificat. Levit. 6. v. 25. 2. Cor. 5. v. 21. Rom. 8. v. 3. Gelli. lib. 13.
cap. 19.

4. Peccatum igitur est, quicquid à norma iustitiae divinæ
aberrat, Deum graviter offendens, & ad severam vindictam
provocans.

5. Unde & D. Johannes 1. Joh. 3. v. 4. ἀμαρτίαν dicit ἀνομίαν
esse, hoc est, quicquid τῷ νόμῳ dei οὐχ ἀμολέει, & 1. Joh. 5. v. 17.
τῶν ἀδικία ἀμαρτία οὖτις. Quicquid igitur ἀνομονύ ἀδικία, pec-
catum est.

6. Et quicquid à divina iustitia & voluntate in lege patefa-
cta, discrepat, iram Dei, (quia Deus est zelotes, Exod. 20. v. 5.)

A 2 CON-

concitat: quæ σύνθρονον habet ἐνδίκην. Est enim ignis consumens, Ps. 89. v. 47. nisi interveniat reconciliatio Christi mediatoris. Rom. 3. v. 25. 1. Tim. 2. v. 5. 6. 1. Joh. 2. v. 2. 3.

7. Peccatum tantum cadit in creaturas ratione præditas, quæ ad imaginem Dei initio factæ fuerunt, nimisrum Angelos & homines.

8. Angeli autem non omnes peccarunt, sed aliqui tantum, qui in veritate non persistenterunt, Iob. 4. v. 18. Joh. 8. v. 44. Judæ. v. 6. 1. Joh. 3. v. 8.

9. Qui autem persistenterunt, exemplo in prolapso edito, ita in veritate confirmati sunt, ut ad imitationem eorum nunquam peccare velint, unde etiam acerrimè contra illos dimicant. Dan. 10. v. 20. 21. Dan. 12. v. 1. Judæ. v. 9. Apoc. 12. v. 7.

10. Peccatum Angelorum fuit spontanea à Deo conditore defectio exabusu liberi arbitrii profecta, quâ illi non solum extremam naturæ suæ depravationem, verùm etiam æternam condemnationem sibi accersiverunt, sub qua sine omnib[us] liberationis spe conclusi sunt. Matth. 25. v. 21. Lucæ 9. v. 18. 2. Pet. 2. v. 4. Judæ. v. 6. Apocal. 12. v. 9.

11. Rectè igitur Ecclesia Origenem improbavit, sentientem Diabolo & Angelis ejus post multa diuturni temporis supplicia restitutionem futuram. August. lib. 21. de civit. cap. 17. Quanquam Origenes ipse quadam ad Alexandrinos Epistola graviter conqueritur, errorem hunc sibi per calumniam impositum fuisse. In Apolog. Ruffini.

12. Quale autem peccatum Angeli defectores commiserint, sacræ scripturæ ubiq; premunt. Cùm tamen D. Paulus 1. Tim. 3. v. 6. τὸς τυφωδέρτας dicat incidere judicium Diaboli, sensit hactenus Ecclesia fastu & elatione contra filium Dei incarnandum eos offendisse Deum.

13. Quod autem Iesa. 14. v. 16. scribitur: Quare cecidisti de cœlo, &c. etsi ab Augustino lib. 3. de doctrina Christ. cap. 37. & aliis de lapsu Angelorum accipiatur, impropriè tamen illud fit, & καταχειστῶς, fortè propter illud Christi, Lucæ 10. v.

18. Vidi

Plato in
Gorgia.
παρεγέρι-
γμάτα γί-
νεται, ινα
εἴλλοι οι δ-
ρῶντες πά-
χονται φο-
έρμενοι
βελτίνες γί-
γνεται.

18. Vidi Satanam quasi fulgur de cœlo cadentem. Propriè autem de rege Babylonis intelligendum est.
14. Qualemq; tamen fuerit , gravissimum certè fuit, & nobis considerandum proponitur, non ut curiositatis materiam habeamus, sed ut & primum peccati autorem Diabolum intelligamus. Joh. 8. v.44. Joh.3. v.8. & gravissimo supplicio , cui Deus destinavit Angelos Apostatas , à peccando deterreamur, 2. Pet. 2. v.4.
15. Peccatum in homine est, quicquid hominem à notitia & amore Dei & dilectione proximi , tanquam à scopo, ad quem conditus erat, avertit. Es.59.v.2. 1.Joh.3.v.15.
16. Estq; originale & actuale: quibus vocabulis Ecclesia secundum scripturam docendi gratia utitur. Et rectè origina-
le vocatur, de quo scriptum est Jesa. 43. v. 27. Pater tuus pri-
mus pecavit. & Psal.51. v. 7. Ecce in iniquitatibus conceptus
sum : & actuale, de quo Gal. 5. v. 19. manifesta sunt opera
carnis.
17. Peccatum originale paulò aliter definiendum est in pri-
mis parentibus, quam in nobis. Illis enim contractum fuit
voluntate & actione: nobis autem connascitur.
18. Peccatum originale in primis parentibus fuit mandati
divini de nō comedendo fructu vetito transgressio. Gen.2.v.
17. Gen.3.v.6. facta ex instinctu Diaboli, cui liberrima volun-
tate consenserunt. Gen.3. v.4.6. qua imaginem illam Dei, ad
quam erant creati, omnemq; naturæ suæ integratatem & re-
sistitudinem, Gen.1.v.26.27. Gen.5.v.1. Eccl.7.v.30. amiserunt,
succedente interim horribili totius naturæ suæ deformatio-
ne, omniumq; corporis & animæ virium corruptione &
tauξια. Gen.3.v.7.8.22. Unde non solùm in omnis generis ca-
lamitates corporales ac ipsam mortem præcipitati fuerunt.
Gen.3.v.16.17.23. Gen.5.v.5. verùm etiam rei facti sunt iræ Dei
& æternæ damnationis. Gen.2.v.17. à qua tamen fide inven-
turum Messiam liberati sunt. Gen.3. v.15.
19. Fuit igitur Depravatio Naturæ in primis parentibus

A 3 cam

tam peccatum propter *ἀνομίαν*, quam pœna propter prævaricationem. Nam acta est hic illa, heu nimis vera fabula de viatore incidente in latrones, Lucæ 10. v.30.

20. Lapsum autem istum primorum parentum, partim necessariò, partim contingenter evenisse statuimus. Necessariò quidem, absq; tamen coactione, quatenus ille fuit à Deo prævisus, non prædestinatus vel præordinatus. Nam prævisio Dei falli non potest: & tamen rebus prævisis nullam affert necessitatem, Gen.18.v.19. qua sic & nō aliter agant. In scholis vocatur *Necessitas* οὐ πρόθεστος.

21. Nec tamen ob id Deum peccati autorem constituimus, quod lapsum primorum parentum præviderit, & cùm posset, non impediverit, ve eos ita creando, ut labi non possent, vel interdictum illud, Gen.2.v.17. non proponendo, vel eos ita regendo, ne serpenti obtemperarent, μη γένοιτο.

22. Habuit enim Deus, in quo nihil est mali, justissimas & sanctissimas rationes, Ps.5. v.5. Deut.32. v.4. & cur tales crearet, qui propria volūtate stare vel cadere possent, Syr.15. v.14. & cur isto mandato (quod versutiæ serpentis longè præferre debebant) obedientiam illorum exercere vellet, in qua tamen hominem inquirere, extra verbum nefas ducimus. Proverb.25.v.27. Syr.3. v.22. Es.55. v.8.4. Esdræ 4. v.10.

23. Interim nobis satis esto, quod scimus, Deum lapsum illum noluisse, Syr.15. v.12. Voluisse etiam quantum in se erat impedire. Quod vel ex eo satis appetet, quod rectos creavit, Eccles.7. v.30. in horto voluptatis collocavit, Genes.2. v.15. tam seriò fatalem illam arborem prohibuit, & quam incursuri essent pœnam transgrediendo, prænunciavit. Gen.2.v.17.

24. Voluisse tamen Deum (voluntate consequente) non quidem lapsum, sed lapsos incurtere denunciatam pœnam haud agrè concedimus, Levit.26.v.14. Deut.28.v.15. Is enim semel omnes mori, Hebr.9.v.27. mortemq; peccati stipendum esse, Rom.6. v. 23. Genes.3. v.19. constituit: & quidem volens

volens. Transgressio igitur non est ex Deo, i. Joh. 3. v. 8. sed
pœna, Amos 3. v. 6.

25. Contingenter lapsi sunt, quatenus ipsi libera voluntate
sua non minus ad obedientiam uti potuerunt, quam ad in-
obedientiam abusi sunt. Gen. 3. v. 6.

26. Peccatum Originale in nobis est non solum reatus,
quo propter lapsum primorum parentum obligamur ad pœ-
nam, Rom. 5. v. 14. 18. i. Cor. 15. v. 22. verum etiam efficax de-
pravationis istius, lapsu primorum parentum in humanam
naturam ingressę, in nos nostrumq; corpus & animam trans-
fusio & propagatio, Gen. 5. v. 3. Rom. 5. v. 12. excitans in nobis
omnis generis vitiosos motus & cupiditates, pravas cogita-
tiones, dicta & facta, quibus legi divinæ cōtravenimus, Rom.
7. v. 5. 8. 11. 17. 20. 23.

27. Causam efficientem hujus mali nequaquā in Deum re-
ferri posse, suprà ostendimus, nisi quatenus voluit & appro-
bavit (prout veritas & justitia ejus exigebant) ut primi parētes
denunciatam & promeritam inobedientiæ pœnam subirent.

28. In Diabolum igitur qui prævaricationem suasit, i. Joh.
3. v. 8. & ipsos primos parentes, Hosea 13. v. 9. qui arbitrii sui
libertate abusi, & tām malitioso consultori obsecuti fuerunt,
meritò omnem hujus mali causam & culpam conferimus.

29. Si quis objiciat non omnino vacare Deum culpa, qui
cūm malum hoc sub ipsum exortum profligare potuisset, ex
Adami tamē persona cum ipsā naturā in posteros etiam eius
derivarī sinat, & in ipsa natura toleret, Respondemus:

30. Deum nequaquam peccatum cum naturā propagare,
nec conservare etiam. Ultrò enim circumstat, Heb. 12. v. 2. &
inhabitat, Rom. 7. v. 20. Et quæ dona primi parentes acce-
perant, pro posteris etiam acceperant. Meritò igitur donorum
illorum amissio etiam in posteros eorum redundavit. Ordi-
navit autē Deus media, per quæ vicium hoc ē natura iterum
eliminetur, per gradus tamen, interim illud certo consilio
tolerat, i. Cor. 14. v. 33. Eph. 1. v. 5.

Com-

31. Complectitur igitur hoc malum & Naturæ depravationem & Reatum, quorum illud in scholis materiale, hoc autem formale appellari consuevit. Propriè tamen loquendo, utrumq; est formale. Materia enim constitui non potest, ubi substantiale nihil est.
32. Depravatio naturæ continet Defectum & concupiscentiam: quorum illud est malum privativum, hoc positivum.
33. Defectus est concreatae & insitæ integratatis & rectitudinis in natura, privatio. Rom. 3. v. 23. Cum autem privatio habitum presupponat, cujusmodi ille fuerit, videndum est.
34. Habitus ille per peccatum originis ablatus fuit ipsa justitia originalis, seu ut scriptura vocat, Imago & similitudo Dei. Gen. 1. v. 27. (quam Paulus δέξαντες Rom. 3. v. 23. 1. Cor. 11. v. 7. vocat) & integritas, Eccl. 7. v. 30, ad quam Deus hominem initio creaverat.
35. Imago illa Dei fuit talis humanæ Naturæ, corporis & animæ, & omnium virium, facultatum, & actionum integritas & rectitudo. Eccl. 7. v. 30. ut homo quantus & qualis esset, cum justitiâ & voluntate Dei pulcherrimè congrueret. Eph. 4. v. 24. Col. 3. v. 10. indeq; Deo cōditori suo summopere placceret. Gen. 1. v. 31. Sap. 11. v. 25. Rom. 5. v. 8.
36. Nam in mente lucebat vera notitia Dei. Col. 3. v. 10. & summa Sapientia. Gen. 2. v. 19. Voluntas ad obediendum erat liberrima. Syr. 15. v. 14. Omnes affectus & cupiditates erant ordinatæ. Syr. 17. v. 5. 6. Omnes actiones congruere poterant ad normam legis divinæ. Eccl. 7. v. 30. Nihil uspiam erat ἄγομενον.
37. Ipsum quoq; corpus erat elegans & decorum sine omni turpitudinis nota, Gen. 2. v. 25. validum & robustum, nullis injuriis obnoxium, aptum animæ organum, omniaq; corporis dona erant amplissima.
38. Justus igitur & sanctus erat homo, & justè sancte q; ex se vivere poterat, Eph. 4. v. 24. Deut. 6. v. 5. Luc. 10. v. 27. fælicissimus, Gen. 2. v. 15. & quidem immortalis, Gen. 2. v. 17.

Deo

Deo charus, Sap. ii. v.25. Gen. i. v.31. Sap. 2. v.23 & omnibus
brutis animantibus formidabilis. Gen. i. v.28. Gen. 2. v. 19. Ps.
8. v.7. Syr. 17. v.4.

39. Talem igitur cùm Deus hominem primitùs creavit,
annon rectum fecisse jure perhibetur? Eccl. 7. v.30. ad simili-
tudinem & imaginem, Gen. i. v.26. 27. & gloriam suam, i. Cor.
11. v.7. Annon si talis permanisset, nobilissimum Dei fuisset
opificium?

40. At verò per peccatum originis tantis bonis orbatis su-
mus, Rom. 3. v.23. Rom. 5. v.12. Hæ sunt vestes quibus à latro-
nibus exutus & despoliatus est infelix ille, descendens de Je-
rusalem in Jericho, Lucæ 10. v.30. Rectè igitur exclamat D.
Paulus, πάντες ἡμαρτον καὶ ὑστερήντων τῆς δόξης θεοῦ.

41. Concupiscentia est novus habitus seu pravitas illa, quæ
per lapsum primorum parentum humanam naturam inva-
sit. Nimirum πληγὴ illæ quas inflixerunt latrones viatori,
Lucæ 10. v.30. & ἡμιδαῦ̄ reliquerunt; si quidem Analogia fi-
dei, Rom. 12. v.6. permittit, narrationem illam per Allegoriā
detorquere ad lapsum primorum parentum.

42. Vocabulum autem concupiscentiæ hic εἰ πλάτει usur-
patur, pro omni illa ἀπειλίᾳ, quæ in universam naturam & o-
mnes potentias, vires & facultates ejus se insinuavit, quo sen-
su Paulus desideria carnis, Gal. 5. v.16. vocat, & v.17. inquit; Ca-
ro concupiscit adversus Spiritum, quod idem est cum illo,
Rom. 8. v.7. τὸ φεύγοντα τῆς συγκόσ, ἔχθει εἰς θεόν.

43. Concupiscentia igitur illa non solum hominem carne
& Spiritu inquinatū reddidit, 2. Cor. 7. v.1. Tit. i. v.15. sed pe-
nititus corruptit & depravavit, ut nihil in eo permanerit sa-
num & integrum, à vertice capitis ad imum usq; calcem, Jela.
1. v.5. 6. Ps. 14. v.11. Ps. 53. v. 2.

44. Et quemadmodum spongia sicca aquam ita imbibit,
ut ne minimus quidem floccus ejusdem humoris expers
maneat, ita pravitatem & iniquitatem natura nostra hausit:
& hæc peccati lepra, quicquid in homine bonum fuit, pe-

nitissimè pervasit & vastavit, Job 15. v. 16. Jerem. 17. v. 9. Rom. 7. v. 18.

45. Hinc ipsa mens supra animæ facultas tantam caliginem contraxit, Rom. 1. v. 21. Eph. 4. v. 18. 2. Cor. 4. v. 4. Joh. 1. v. 5. Prov. 22. v. 15. ut ne quidem ante pedes posita perspicuè cognoscat, Ps. 139. v. 18. 4. Esd. 4. v. 10. nendum Deum agnoscat, 1. Cor. 1. v. 21. 1. Cor. 2. v. 14. Joh. 1. v. 10.

46. Voluntas autem à Deo sic est aversa, ut non modò non sit amplius conformis voluntati divinæ, Rom. 8. v. 7. sed eidē etiam cōtumaciter repugnet, inclinata non ad bonum, quod Deus probat, sed ad malum, quod odit. Gen. 6. v. 5. Gen. 8. v. 21. Prov. 19. v. 3. Rom. 7. v. 15. Actor. 7. v. 51. Galat. 5. v. 17. Col. 1. v. 21.

47. Omnes habitus mentis & voluntatis, omnes affectus cordis, omnes appetitus, motus & actiones naturales reddite sunt vitiosæ. Nihil uspiam sanum & εύνομον relictum est. Job 4. v. 18. 19. Job 14. v. 4. Job 15. v. 14. 16.

48. Quin ipsum corpus etiam contraxit deformitatem, nuditatis turpitudinem, Es. 3. v. 7. languorem, imbecillitatem, variis injuriis quibus lœdi potest, expositum est, Syr. 40. v. 1. 5. 9. & quæ remanserunt dona corporis, variis modis manca & imperfæcta sunt.

49. Atque ita homo totus peccator constitutus est, Ps. 14. v. 3. Ephes. 2. v. 3. Impius & injustus, Deut. 32. v. 5. qui ex se, naturalibusq; viribus suis non agere possit nisi male, cùm ipse malus sit, Matth. 12. v. 34. 35. ne minima quidem liberiarbitrii particula relicta, quæ se ad Deum convertere & ad gratiam applicare possit, Ezech. 26. v. 26. Zach. 7. v. 12. 2. Tim. 2. v. 26. 2. Corint. 3. v. 5. Joh. 7. v. 1. mortalis, Job 14. v. 1. Deoq; abominabilis & detestabilis factus est, Jes. 64. v. 6. cuius autoritatem etiam vilissima animalcula nihil faciant, Exod. 8. v. 3.

50. Hæc est imago Adami terreni, quam portamus pro imagine Dei, 1. Cor. 15. v. 49. maculata tunica carnis, Iudæ. v.

23. quam

23. quam gerimus pro vestitu deaurato, Psal. 45. v. 10. Hoc est malum positivum, quod privationi boni successit: Adeò occultum, ut nisi Deo revelante non cognoscatur, Pl. 90. v. 8. Jerem. 17. v. 9. tam profundè in penitissimis naturæ nostræ recessibus latens, ut humanæ mentis acies nunquam illud satis cōtueri, nedū lingua pro dignitate detestari queat, Ps. 19. v. 13. 31. Et hæc quidem de materiali peccati originis: Sequitur de reatu, qui est obligatio ad pœnas, tūm temporales, tūm æternas.

52. Pœnæ temporales sunt, quicquid calamitatum in hac vita hauriendum est, cum ipsa morte temporalis, quæ est corporis & animæ dissolutio, Pl. 90. v. 7.

53. Pœnæ æternæ sunt, ira Dei, Rom. 1. v. 18. Tyrannis Diaboli, Eph. 6. v. 12. 1. Pet. 5. v. 8. Apoc. 12. v. 12. & æterna damnatio, Es. 66. v. 24, Matth. 25. v. 41.

54. Atq; hujus modi pœnæ sunt stipendium & finis, imò effēcta peccati nos circumstantis, Heb. 12. v. 2. Rom. 6. v. 21. 22.

55. Reatus hic non est alienus vel imputatus, sed omnino proprius. Nascimur enim filii itæ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, Eph. 2. v. 3. Concipimur ex immundo semine, Job 14. v. 4. & in iniuitate, Psal. 58. v. 4. & imaginem terreni Adæ circumferimus, 1. Cor. 15. v. 49. & malum illud quod nos reos facit in carne, Rom. 7. v. 18. 20. & in membris nostris, v. 23. habitat & est.

56. Perspectis igitur causis peccati originalis, ejusdem quoq; propagationem in posteros videamus. Nam accersita naturæ depravatio non substitit in primis parentibus, qui prævaricati fuerunt, sed per carnalem generationem transfusa est in omnem eorum posteritatem, Gen. 5. v. 5. excepto solo Christo, quem ob id præter ordinem naturæ concipi & nasci oportuit, ut esset peccati expers, Lucæ 1. v. 35. Heb. 4. v. 15. Heb. 7. v. 26.

57. Transgressio quidē in primis parentibus subsistit, quatenus illa factum personale fuit, at pravitas naturæ, trans-

gressionem illam consecuta etiam in posteros abiit, quia oīμ
φύση facta fuit, qualis antea imago Dei fuerat. 4. Esd. 7. v. 48.
Rom. 5. v. 12.

58. Transiit autem per carnalem generationem planè ad
eum modum, quo prædandi ingenium in lupis, eorum catu-
lis ingeneratur.

59. Quod è minus mirum videri debet, cùm ipsa experi-
entia testetur, sæpè vitiosos quosdam corporis habitus &
morbos parentum cum ipso semine in liberos transfundit. 2.
Sam. 3. v. 29. 2. Reg. 5. v. 27.

60. Hinc est pathetica illa Davidis querela, Ps. 51. v. 7. Ecce
in iniquitatibus natus sum, & in peccato concepit me mater
mea. & Job 14. v. 4. Quis potest facere mundum de immundo
conceptum semine? Hinc Adam genuit filium ad imaginem
& similitudinem suam, Gen. 5. v. 5. Hinc sensus & cogitatio-
nes humani cordis intentæ & pronæ sunt ad malum, imò se-
cundum Hebraicam veritatem prorsus malæ, omni tempo-
re, ab adolescentia sua. Gen. 6. v. 5. & 8. v. 21.

61. Sed age, dispiciamus etiam quo pacto ab hoc malo, tām
arctè nos circumstante, liberemur. Hic aliter liberamur à
Reatu, & aliter à corruptione.

62. Reatus quidem nobis solvitur, quo ad æternam damna-
tionem, per regenerationem, Joh. 1. v. 13. quæ fit per aquam
& Spiritum Sanctum, in Baptismo, Joh. 3. v. 5. Tit. 3. v. 5. Eph.
5. v. 26. & per incorruptibile semen verbi Dei, 1. Pet. 1. v. 23.
Jacob. 1. v. 18.

63. Regenerati igitur, quatenus in regenerationis gratia
perseverant, Eph. 3. v. 16. Gal. 3. v. 3. Heb. 3. v. 4. non amplius
obligati sunt ad æternam mortem & damnationem, Joh. 3. v.
6. Joh. 5. v. 24. Recipiuntur enim per & propter Christum si-
de apprehensum à Deo in gratiam, Rom. 5. v. 1. Rom. 8. v. 1. &
imputatur eis iustitia Christi tām efficaciter ad salutem, ut
nihil damnationis inesse debeat iis, qui sunt in Christo Jesu.
Rom. 8. v. 34.

64. Pœnz

64. Pœnæ quidem temporales in hac carne peccati & corpore mortis illis perferendæ sunt; sed quarum asperitatem Deus mitigat, Ps. 34. v. 20. Ps. 85. v. 4. 1. Cor. 10. v. 13. Ps. 103. v. 13. & efficit, ut non tam sint pœnæ peccati, quam remedia, quæ ad mortificandum veterem Adamum & extirpandum istud in carne nostra habitans malum, serviant. Ps. 116. v. 13. Ps. 119. v. 71. Thren. 3. v. 27. Rom. 8. v. 28.

65. Reatus igitur est aculeus peccati, quo sublato & deterto, peccatum amplius nocere non potest. Quos enim Deus dilexit in dilecto, Eph. 1. v. 6. eos nihil à dilectione Dei separare potest, Rom. 8. v. 35.

66. Reatu autem soluto, vitiositas naturæ nihilominus manet. Unde rectè Augustinus ait, peccatum nō dimitti, ut non sit, sed ut non imputetur, lib. 1. de nuptiis & concupiscentia, cap. 25. & cap. 26. transire reatu, manere actu.

67. Ista tamen reatus solutio unâ cum pravitate naturæ non propagatur. Ratio; quia non transit in naturam, sed est tantum posita in imputatione justitiae Christi, Rom. 4. v. 7. 8.

68. Unde sit, ut peccatum originale reatus aliter considerandum sit in renatis, quam in non renatis. In renatis quidem illud est, & in eorum carne habitat, Rom. 7. v. 18. 20. sed remissum, sed obiectum, Rom. 4. v. 7. 8. sed Christi sanguine emundatum, 1. Joh. 1. v. 7. suâ quidem naturâ adhuc res damnata, sed quod propter reatum solutum vim suam exercere non possit.

69. At in non renatis efficax est ad damnationem, eosque constituit reos iræ, Rom. 5. v. 18. filios, Eph. 2. v. 3. & vasæ iræ, Rom. 9. v. 22. ita ut excellentissimis etiam virtutibus ornati, Esa. 64. v. 6. sint tamen generatio prava, Deut. 32. v. Serpentes & genimina viperarum. Matth. 25. v. 33.

70. Et hæc quidem de reatu: Corruptio, reatus genitrix, & ipsa tantum in renatis, aboletur: idq; vel particulariter per regenerationem & mortificationem carnis; vel totaliter per mortem & resurrectionem.

71. Per regenerationem Spiritus sanctus naturæ pravitatem corrigit, novam lucem mentibus obtenebratis insinuat, voluntatem refractariam ad amorem & obedientiam Dei flectit, impetum affectuum domat, & novis motibus ac donis ornat, Ps. 51. v. 12. Ezech. 36. v. 26. Jerem. 31. v. 39. Joh. 16. v. 13. 2. Cor. 3. v. 5. 6. Phil. 1. v. 6.

72. Per mortificationem vetus Adam quasi crucifigitur, & desideria carnis refrænantur, & execrabilis huic Hydræ subinde renascentia capita amputantur, Rom. 6. v. 12. Rom. 13. v. 12. 13. 1. Cor. 9. v. 27. Col. 3. v. 5. 1. Pet. 1. v. 22. 1. Pet. 2. v. 11. Jere. 4. v. 4.

73. Abolitio illa ut imperfecta est, ita suos habet gradus & incrementa. Paulatim vero imago illa terrestris Adami ad pristinam imaginem Dei reformatur, 2. Cor. 4. v. 16. idq; tantò magis, quantò magis Spiritu facta carnis mortificamus. Rom. 8. v. 13.

74. Atq; hanc abolitionem particularem parentes in sboleum haud quaquam transmittere possunt: quemadmodum nec olim parentes circumcisí transmiscebant circumcisionem in liberos, in quorum carne præputia renascebantur.

75. Non enim penetrat illa ad ipsam mali radicem, nec illud penitus è natura evellit, sed habitus animi & vitia affectuum in melius commutat, in aliis quidem magis, in aliis minus. Quemadmodum igitur habitus acquisiti non propagantur in sboleum, quia non abeunt in naturam, ita nec illa renovationis gratia.

76. Totalis autem abolitio demum fiet in morte & resurrectione mortuorum. Nam qui mortuus est, liber est à peccato, Rom. 6. v. 7. Et in resurrectione prodibunt corpora nostra gloria, 1. Corint. 15. v. 43. configurata corpori claritatis Christi, Phil. 3. v. 21. Satanico illo veneno per mortem & corruptionem excocto, Malach. 3. v. 2. 3.

77. Non renatis autem malum hoc tām tenaciter inhæret, inhabitat & adjacet, Rom. 7, ut etiam per mortem resoluti

soluti in pulverem, deformitatem tamen istam non depo-
nant, Daniel. 12. v. 2.

78. Cūm igitur peccatum originis sit tām abominabile in-
quinamentum carnis & spiritus, 2. Cor. 7. v. 1. gravissimē er-
rant, qui vel negant illud, vel extenuant, vel exaggerāt etiam,
pt̄eter sacræ scripturæ mentem.

79. Negarunt illud olim Pelagiani, afferentes peccatum
originis non esse aliquam naturæ depravationem, sed imita-
tionem tantūm, qua in similitudinem prævaricationis Adæ
peccemus, Rom. 5. v. 14. August. de peccatorum meritis, cap.
1. 2. 3. & peccatum esse nomen carens substantia, cap. 14. lib. 1.
contra Juli. cap. 2.

80. Ideoq; non solum parvulos carere peccato originali,
August. lib. 3. contra Jul. cap. 5. verūm etiam extra Baptismum
habere vitam æternam, August. lib. 1. de peccatorum meri-
tis, cap. 20. & tantūm baptizandos esse, ut de bono in me-
lius transferantur, August. lib. contra Pelagianorum Episto-
las, cap. 22.

81. Imò tantam esse naturæ sanitatem, ut per solum libe-
rum arbitrium quis possit allequi regnum Dei, lib. 2. Re-
tract. cap. 33.

82. At exploratam hanc hæresin fortiter repressit D. Au-
gustinus variis scriptis, ac damnavit etiam Synodus Palæstina,
Milevitana & Carthaginensis 5.

83. Negant illud hodiè Anabaptistæ, quia nec voluntarium
sit, nec actuale: Cumq; nullum in infantibus peccatum vel
agnoscant, eos quoq; à Baptismo rejiciunt, tanquam
eis non competente.

84. At Christus inquit: quod ex carne natum est, caro est,
Joh. 3. v. 6. Ps. 51. v. 7. & nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spi-
ritu, &c. Joh. 3. v. 5. & Paulus 1. Corint. 15. v. 50. Caro & sanguis
non possunt ingredi regnum cœlorum.

85. Concedimus quidem, infantes non peccare (per æta-
tem) in similitudinem prævaricationis Adæ, Rom. 5. v. 14. At
si pec-

If peccatum originis non habent, quomodo rei sunt iræ? Eph. 2.v.3. & peccati stipendum recipiunt. Rom. 6.v.23.

86. Extenuant illud Scholastici & Pontificii. Concedunt illi quidem peccatum originis esse, & nō imitatione, sed propagatione ab Adam in omne genus humanum diffluere: Sed quid illud sit, non satis explicatè tradunt.

Landem hāc 87. Sed ineptias eorum ex concilii Tridentini definitione opinionem de peccato originis, recitat D. Chem. nici ex scho- lasticis, Ex- fe ei intelligentiam & voluntatem, quibus aspiraret ad bo- num spirituale & cœleste; sensum autem & appetitum, qui- bus ferretur ad corporale & sensibile, pag. 15.

88. Ex diversis igitur propensionibus istis pugnam quan- dam in homine oboriri potuisse, carnis & Spiritus, pag. 15. Concupiscentiam enim homini in puris naturalibus existen- ti, naturalem & ex conditione materiæ consequentem fuis- se, non tamen ut aliquod naturæ bonum, sed potius ut defe- ctum & morbum quandam, non tamen ex Dei conditoris intentione, sed præter ejus intentionem, pag. 28.

89. Deum igitur hominem ornasse donis, quibusdam su- pernaturalibus, nimirum gratia gratum faciente, seu justitia originali, gratia immortalitatis & gratia loci, ut collocaretur in paradiſo, pag. 1.

90. Justitiam autem originalem debuisse rebellionem car- nis & Spiritus coērcere, pag. 3. & aureo quasi fræno confligentes inter se appetitus moderari, pag. 16. & perfectam partium inferiorum ad superiores subordinationem facere, pag. 237.

91. Peccatum igitur originale esse non quiddam positivum, sed privationem tantum, pag. 447. 450. donorum illorum su- pernaturalium, pag. 17. & delere in homine non ordinem na- turalem, sed supernaturalem, pag. 474. Naturalia enim post peccatum integra manere, pag. 805. etiā in Diabolis. 17. 23. 24.

92. Tametsi

92. Tametsi igitur natura non corrupta sit ex doni naturae
carentia, sed ex supernaturalis amissione, pag. 17. non ta-
men esse sanam propter defectum justitiae originalis & con-
cupiscentiam, pag. 772.
93. Cum enim justitia originalis perfectam tranquillita-
tem in anima & omnibus potentias ejus facere potuisset, pag.
237. 452. 483. ibi nunc hominem in deterius esse commuta-
tum secundum corpus & animam, Concil. Trid. pag. 17. non
quo ad substantiam, sed accidentia, pag. 347.
94. Nam & transgressionem Adae nobis communicari per
generationem, hoc est, imputationem, pag. 442. & propter
carentiam doni justitiae originalis voluntatem aversam &
obliquatam esse, pag. 443.
95. Cum igitur integritas, in qua creati fuerint primi pa-
rentes, non fuerit aliquod donum naturale, pag. 15. non na-
turale aliquod donum, sed supernaturalia tantum desperdi-
ta esse, pag. 2.
96. Liberum igitur arbitrium non amissum esse, pag. 501.
licet viribus attenuatum & inclinatum sit, Concil. Trid. pag.
31. non tamen sic, ut non possit homo non semper male age-
re, pag. 501. sed ut ejus motu, Deo excitante, adjustificationis
gratiam se preparare & disponere, & Deo vocanti cooperati-
ri possit, Concil. Trid. pag. 53.
97. Non igitur extinctum illud vel rem de solo titulo esse,
multo minus voluntatem ad conversionem se mere passivè
habere, Concil. Trid. pag. 53.
98. Homines igitur in prævaricatione Adæ innocentiam
amittentes, non solum factos esse immundos, Concil. Trid.
pag. 31. verum etiam gravia inde naturæ vulnera accepisse,
ignorantiam in mente, malitiam in voluntate, concupiscen-
tiæ in potentia concupiscente, & infirmitatem in potentia
irascente, pag. 485.
99. Tolli autem peccatum propriæ dictum in justificatio-
ne, 395. imò perfectè in Baptismo, 405. 406. tolli totum id,

C

quod

quod veram & propriam peccati rationem habeat, (non imputacione tantum) Concil. Trid. pag. 19. & 55. præsertim ex mente, quæ vitiata sit, amissione gratiæ, pag. 8. Nam renovari nos in hac vita ad eam innocentiam, quæ fuit non in carne, sed in mente primi hominis, pag. 8. Adamū enim quo ad animam justificatum fuisse, antequam liberos gigneret, sicuti sæpè parentes justi & peccato originali carentes liberos gignant, pag. 315.

100. Voluntate autem per gratiam justificantem (quæ sit qualitas in anima inhærens, pag. 527.) sanata, reliquos morbos, & præsertim concupiscentiam non solum non constitutere reos, sed ne posse quidem, quia non habeat veram peccati rationem, pag. 370.

101. Proinde errate Lutheranos, qui velint, ignorantiam & reliquos morbos verè & propriè peccatum originis esse: & in hominibus per Christum justificatis ita manere, ut natura sua damnare possint, si Deus imputare velit, pag. 366.

102. Concupiscentiam igitur in renatis non esse peccatum, non solum quia non imputetur, verùm etiam quia non imputari possit, cùm sit nullum ex se & naturâ sua peccatum, pag. 376.

103. Appellari quidem in renatis peccatum, etiam ab Apostolo, sed impropiè, quia nimis à peccato sit, & ad peccatum inclinet, Concil. Trid. pag. 20. Fomitem igitur esse, non peccatum, si ratio non consentiat, pag. 259.

104. Relinqui autem fomitem hunc renatis ad agonem, quia non consentientibus & per gratiam Jesu repugnantibus, nocere non possit: quia, imò legitimè certantes hinc habere, unde coronentur, Conc. Trid. p. 20.

105. Originale igitur peccatum esse omnium minimum, quia minus voluntarium fit, pag. 299. 856. Voluntarium tamen esse voluntate aliena, pag. 298. Maximum autem esse propter maximi doni privationem, pag. 299. In renatis tamen

men illud nō esse, quia sublatoreatu, tollatur etiam quicquid
peccati rationem habeat, pag. 389. Conc. Trid. pag. 19,
106. Sed profectò nimis leviter ac tenuiter, inepte ac fri-
gidè hæc dicuntur, nec magnitudinem peccati originis satis
explicant, imò vix umbram ejus exprimunt.

107. At nos Philosophicis illis speculationibus Pontificio-
rum opponimus sanam doctrinam antea recitatam, & scri-
pturæ testimoniis confirmatam. Quis enim dubitet, si istæ
Pontificiorum nugæ ad auram verbi divini ventilentur, quin
præter nugas & adinventiones humani cordis, quod rema-
neat, nihil sit futurum.

108. Aliter enim sacræ literæ proponunt creationem; ni-
mirum Deum hominem creasse, non ad imaginem Angeloi-
rum & brutorum animantium, sed ad imaginem & similitu-
dinem & gloriam suam, non cum rebellione carnis contra
Spiritum, sed bonum & rectum. Aliter proponunt lapsum,
quod ille fuerit privatio, non doni cuiusdam supernaturalis,
sed concreatae imaginis & gloriæ divinæ, agnitionis Dei, ju-
stitiæ, sanitatis, veritatis & promptitudinis istius ad obedien-
dum Deo, Gen. 3. v. 8.

109. Aliter loquuntur de propagatione peccati, nimirum
illud non tantum imputari nobis eò, quod Adamus perso-
nam totius humani generis sustinuerit; sed nos omnino con-
cipi ex immundo semine, & nasci in iniquitate, transgressio-
res & alienatos esse, & errare ab utero, ut nihil in nobis habi-
tet boni: sed omne figmentum cogitationum cordis nostri-
tantum sit malum omni die; Sapientiam nostram inimici-
tiam esse adversus Deum, intellectum nostrum obscuratum
esse tenebris, ut nequaquam ea quæ Dei sunt percipere possi-
mus, imò ne idonei quidem simus ex nobis aliquid (boni) co-
gitare. Nos igitur malos, & natura filios iræ esse, & ita ima-
ginem Adami terreni portare, 1. Cor. 15.

110. Aliter describunt illæ reparationem naturæ, quæ non
ita fiat ut in Baptismo, quando Christum induimus, tollat

Job 14.
Psal. 51.
Psal. 58.
Esaiæ 43.
Rom. 7.
Gen. 6.
Gen. 8.
Rom. 8.
Ephesi. 4.
1. Cor. 2.

2. Cor. 3.
Matth. 12.
Ephesi. 2.

C 2 id

id omne, quod peccati rationem habet, & remaneat tantum concupiscentia, per se innoxia: sed ita, ut tantummodo reatus solvatur, & damnatio tollatur; non tamen habitualiter, sed imputacione justitiae Christi. Morbum autem ipsum & pravitatem totius naturae, & legem peccati in membris, repugnantem legi mentis, Rom. 7. v. 23. nihilominus manere, etiam in renatis; in quibus tamen Spiritus sanctus novos excitat motus, ut Deum ex verbo agnoscentes & ad obedientium promptiores facti, carnem cum morbis & concupiscentiis suis crucifigant, Gal. 5. v. 24. & membra sua, quae supra terram sunt, mortificant, Colos. 3. v. 5. & ita restitutionem quandam in omnibus partibus & viribus hominis inchoet in hac vita, quae tamen consummata tum sit, quando corpus peccati abolidum est, Rom. 6. v. 6. 7. & corruptibile hoc induit incorruptionem, 1. Cor. 15. v. 53. & ita corpora nostra configurata sunt corpori claritatis Christi, Phil. 3. v. 21. Tunc enim corpus humilitatis nostrae perfecte reformabitur, & imaginē Adamā cœlestis integrum portabimus.

III. Et ut omittam contumelias, quae ex falso illo Pontificiorum dogmate in Deum conditorem redundant, ac si ille hominem præter intentionem suā in puris naturalibus pravum creaverit; certè non ferenda est ista redēptionis ac meritorum Christi extenuatio. Nam si tām levis erat morbus, quo genus humanum laborabat, quorsum attinebat Deum mittere filium in carnem, Gal. 4. v. 4. ut peccatum fieret, qui peccatum non norat. 2. Cor. 5. v. 21.

III. Interim non negamus alicubi occurrere apud Augustinum, ubi concupiscentia in renatis peccatum esse negetur, nimirum propter deletum reatum, ubi Homonymia vocabuli peccati observanda & dextrè explicanda est.

III. Exaggerarunt hanc luem hæreditariam olim Manichæi, asserentes eam esse quiddam substantiale ab ipso Sathan in naturam humanam immisum, August. lib. contra Secundinum Manichæum, cap. 12.

III. Quo-

114. Quorum errorem hodiè renovarunt illi, qui contendunt peccatum originis esse ipsam hominis substantiam, & inter peccatum & corruptam hominis substantiam nullum relinquent discrimen.

115. At si peccatum originis est ipsa hominis substantia, sequitur justitiam originalem quoq; substantiam fuisse, & consequenter illa perdata, ipsam hominis substantiam interiisse, & hominis naturam specie nunc aliam esse ab illa, quam Deus initio crearat.

116. Quod sanè perquām absurdum est, & cum præcipuis Christianæ fidei articulis, Creationis, Incarnationis, Redemptionis, Regenerationis & Resurrectionis, è diametro pugnat.

117. Nec ullis etiam sacrarum literarum aut orthodoxæ vestitatis incorruptis testimoniis nititur: tametsi assertorum dogmatis hujus tām audax est præsumptio, ut non minus scripturas quasdam, quām etiam Augustini & Lutheri dicta quādam ad opinionem tām profanam stabilendam inflectant.

118. At quis adeò crassus est, qui non intelligat, aliud esse hominem, & aliud peccatum quod hominem circumstat, Heb. 12. v. 1. aliud esse carnem, & aliud malum carni adjacens, in carne habitans, & in membris existens, Rom. 7.

119. Et D. Augustinus, quem peculiare opinionis suæ fauторem constituunt, passim accuratissimè distinguit naturam, quæ sit donum, & opus Dei, & vitium, quod non sit ex Deo, sed Diabolo.

120. Imò contra Manichæos firmiter concludit, peccatum originis substantiam esse non posse, ob id, quia malum sit: Nam si substantia esset, bonum esse. De fide contra Manichæos, lib. 7. Confess.

121. Et meræ sunt præstigiæ, quæ simplicium & imperitorum oculis offunduntur, dum truncatis quibusdam ex Augustino particulis & sine circumstantiarum consideratione

C 3 positis,

positis, opinio de substantia peccati originalis propugnatur, ut cùm lib. 15. de civit. cap. 17. dicitur: Cùm commota fuerit pars ipsa carnalis, quam peccatum appellat Apostolus, lib. 6. contra Julian. cap. 7. Non aliena natura separanda, sed nostra sananda. lib. 83. quæst. Omnes una massa luti facti sumus, quod est massa peccati.

122. Hæc & hujus modi alia Augustini dicta, secundum Augustinum ipsum explicanda sunt. Nam ex eodem orationis membro, unde particulæ ejusmodi resecantur, sæpè apparet, Augustinum agnoscere & retinere discrimen Naturæ & peccati. Observandum tamen, ubi propriè loquatur, & ubi καταχεισθως, quod isti seculo perquam familiare fuit.

123. Quid verò de Lutherò dicemus? Ejus perpetuam sententiam esse, inter peccatum originis & creaturam discernendum esse, præclarus ille commentarius in Genesin abundè testatur.

124. Et quoties Lutherus contra Pelagianos & Sophistas peccatum originis ita exaggerat, ut etiam peccatum Naturæ & personæ vocet, & id omne esse peccabile (ut idiotismo utar) quod est in nobis, asleveret, nihil aliud vult, quam malum illud $\pi\epsilon\tau\alpha\tau\omega\eta\delta$ altissimè radices in natura nostra & cuiusque persona fixisse, ut etiam connaturale factum sit, & non nisi cum naturæ destructione penitus extirpari possit.

125. Et sane si ipsum ἔτυμον & definitionem substantiæ consideramus, meridiano sole clarius patet, substantiæ appellationem peccato originali nequaquam convenire.

126. Est igitur accidens, vel qualitas, vel habitus, vel virtutum, seu quidvis aliud substantiæ oppositum. Si quis accidens substantiale vocare velit, non quod ad substantiæ seu naturæ constitutionem illud pertineat, sed quia citra substantiæ, cui inhæret, destructionem auferri non possit, non refragamur.

127. Et

127. Et hactenus quidem de peccato originali, cuius opera sunt peccata actualia. Arbor hæc est mala, quæ malos fructus facit, Matth. 15. v. 19. Gal. 5. v. 19.
128. Peccatum actuale est omne cogitatum, dictum & factum, quo læditur amor Dei & proximi, impingens in aliquod præceptum Decalogi.
129. Sive id fiat committendo, sive omittendo, à consciis vel ab insciis, malitiâ vel infirmitate, proximum offendens vel non offendens.
130. Ejus turpitudinem ipsa ratio aliquando etiam in non renatis judicare potest, Rom. 2. v. 15, imperfectè tamen. At per legem non minus est peccati actualis, quam originalis perfecta cognitio, Rom. 3. v. 20.
131. Peccatum actuale est remissibile & irremissibile.
132. Remissibile est, non quod Deus absolutè remittit, sed cuius remissi exēpla nobis sacra scriptura passim commendat.
133. Estq; Veniale & mortale.
134. Veniale cadit in solos renatos, & est quodlibet delictum ex carnis imbecillitate commissum, contra legem Dei: quod tamen retinenti fidem & virtute Spiritus sancti repugnanti, propter Christum Jesum remittitur, & reatu suo non damnat, Rom. 5. v. 1.
135. Tale fuit peccatum Noæ inebriati, Gen. 9. v. 21. Petri simulantis Judæum, Gal. 2. v. 12. Talia sunt quotidiani lapsus justorum, Proverb. 24. v. 16. & delicta pro quibus omnes Sancti opportuno tempore ad Deum orant, Ps. 32. v. 6.
136. Mortale, vel peccatum regnans, ut vocatur Rom. 6. v. 12. cadit tūm in non renatos, tūm in renatos. In non renatis est quodlibet delictum: Quicquid enim non est ex fide, peccatum est, Rom. 14. v. 24. In renatis autem est quilibet lapsus gravior contra conscientiam: excutiens gratiam Dei & Spiritum sanctum: faciens eos reos iræ Dei & æternæ damnationis, nisi rursus ad Deum convertantur.
137. Talia fuerunt Idololatria Aharonis, Exod. 34. v. 4. f.
Adulter-

Adulterium & homicidium Davidis, 2. Samuel. 11. v. 4. 15. Abnegatio Petri, Matth. 26. v. 70. 72. 74. Pertinax incredulitas Thomæ, Joh. 20. v. 25. Talia sunt omnium redeuntium ad conquinaciones mundi, 2. Pet. 2. v. 20. 21. 22. Matth. 18. v. 32.

138. Renatos autem tamen enormiter lapsos, & Spiritum sanctum excutere, & justificationis gratia excidere, vel unicum Davidis exemplum testatur, qui commissio adulterio & homicidio, Deum verè à se abalienavit, Psalm. 51. v. 12. 13. 14.

139. Quod ipsum quoque confirmat Apostolus, dum adulterium & cædem in iis peccatis numerat, quæ hominem regni cœlestis communione privant, Gal. 5. v. 21. Ephes. 5. v. 5.

140. Qui enim hujusmodi scelera committunt, neq; ipsi met de Dei erga se favore certi esse possunt, dicente Apostolo: Qui talia faciunt, regni Dei hæreditatem non possidebunt, neque aliis fidem suam testatam facere, Jacob. 2. v. 20.

141. Peccata Venialia Pontificiis sunt leviora delicta, quæ quidem cursum ad Deum impedian, non autem à Deo avertant, & facili negotio expientur, Bellarmin. parte 3. pag. 73. cùm habeant in se aliquid imminuens culpæ pravitatem, cuius ratione is, qui peccavit, vicinior sit indulgentiæ, pag. 74.

142. Qualia sunt, ignorantia, verba otiosa, ira, invidentia, furtum non ita magnum, pag. 74. 75. 237.

143. Pro Mortali habent, quod hominem planè avertit à Deo, & æternam pœnam meretur, pag. 73.

144. Bifariam igitur errant, tūm quia peccata estimant magis juxta judicium fori, quām verbi Dei, nec considerant personam, an illa cum Deo reconciliata sit, nec ne: tūm quia peccatis aliquibus eam naturam tribuunt, ut extra Christum considerata, etiam damnare non possint.

141. Pec-

145. Peccatum irremissibile est, non quod Deus remittere non possit, sed cuius remissi nullum in sacris literis exemplum habemus.

146. Tale est peccatum in Spiritum sanctum; non quidem omne; sed quod conjunctam habet blasphemiam & convicium.

147. Blasphemia igitur in Spiritum sanctum est, agnitione cœlestis veritatis contra conscientiam pertinax abnegatio, conjunctam habens perpetuam contumeliam & insectationem, & oblatam Spiritus sancti illuminationem pervicaciter & obstinate repudians; quam Deus indurazione cordis & occæcatione mentis, non impetrata illuminationis gratia punire solet, ita ut hoc peccato constricti, ad Deum converti nolint, sed magna cum voluptate blasphemiam suam persequantur, demum desperent, & aeternum exitium libi attrahant, Matth. 12. v. 13. Matth. 13. v. 32. 13. 14. 15. Marci 3. v. 28. Heb. 4. v. 4. 5. 6. Heb. 10. v. 26.

148. Unde D. Johannes i. Epist. 5. v. 16. 17. peccatum ad mortem vocat; non solum, quia certissimam adducit poenam, eternam mortem; verum etiam quia hominem ad mortem usq; in impenitentia irretitum tener.

149. Tale peccatum erat Caini, Gen. 4. v. 6. 9. 10. 13. Pharaonis, Exod. 10. v. 28. Sauli, 2. Paral. 10. v. 13. 14. Phariseorum, Marci 3. v. 30. Iude, Matth. 27. v. 4. 5. Alexandri aratii, 2. Tim. 4. v. 17. Juliani & aliorum.

150. Cum autem blasphemiam in Spiritum sanctum semper comitetur finalis impenitentia & desperatione, haec ipsa quoq; sub peccato irremissibili comprehendimus. Nusquam enim in sacris scripturis legimus finali impenitentiæ aut desperationi unquam veniam contigisse.

151. Pecatum hoc non temere cuiquam impingendum est, quem non in agnitione veritatis abnegatione & insectatione, in impenitentia & desperatione perseverantissime pergere videmus, contumeliosè repudiantem omnia media;

D

quibus

quibus Spiritus sanctus errantes in viam revocare, lapsos erige, & veram consolationem per terrefactis conscientiis insinuare solet.

152. Quosq; tales esse verè constat, pro illis non orandum est, Joh. 5. v. 16. Sunt enim ex Diabolo, 1. Joh. 3. v. 8. 12. Sed severo judicio Dei committendi, 1. Tim. 1. v. 20. & eorum consuetudine abstinendum est, 2. Tim. 4. v. 20. Tit. 3. v. 10. 2. Joh. v. 9. 10. 11.

153. Irremissibile igitur à mortali differt, quòd hujus remissi exempla extent in sacris scripturis, illius nulla.

154. Atque hæc de peccato tūm Angelorum, tūm hominum: unde appareret aliud peccatum alio gravius esse, tūm quoad ipsa peccata inter se comparata, tūm quoad peccatorum pœnas; ut alias interim circumstantias mitramus.

155. Gravius enim peccarunt Angeli, principatum suum deserentes, quàm primi parentes; & gravius fuit peccatum Adæ, quàm cuiusquam nostrum; gravius item est quod designatur in Deum, quàm quod in proximum; quod in parentes, quàm quod in quosvis alios. Christus inquit Joh. 19. v. 11. Qui me tibi tradidit, majus peccatum habet.

156. Graviorem sibi attraxerunt pœnam Angeli apostatae, quàm parentes protoplasti; & tolerabilius erit supplicium Sodomæ & Gomorrhæ, Tyri & Sidonis, quàm Chorazin, Bethsaida & Capernai, Matth. 11. v. 22. 24. Huc pertinet Luc. 12. v. 47. 48.

157. Pernicose igitur errarunt Stoici peccatorum æqualitatem astruentes: & παρέστησον illud: ὅπερ ίσιν τὰ αμαρτήματα in Ecclesia ferri non debet.

158. Non enim, ut sentiebant Stoici, sublato peccatorum discrimine, veluti compendio quodam homines arcentur ab improbitate, sed confirmantur multò magis.

159. Quibus enim persuasum est nullum esse peccatorum discrimen, tantidem facient parricidium atque simplex homicidium.

maicidium, incestum atq; stuprum, sacrilegium atque com-
mune furtum.

160. Parem etiam desperationis materiam habebunt, qui
semel tantum carnis illecebris quasi tempestate quadam ab-
tepti in peccatum consenserunt, cum illis qui perpetua pec-
cati mancipia fuerunt, membra sua tradentes arma injusticie.
Rom. 6. v.13.

161. Oramus autem æternum Dei filium, ut lucem hanc
Doctrinæ cœlestis Ecclesiæ suæ clementer conservet, adver-
sus omnes hæreses & pravas opiniones, quo minus obscu-
retur & peccatum in nobis & peccati remedium in ipso, qui
solus est Jehova, justitia nostra, Jerem. 23. v.6. Jerem. 33. v.14.
Actor. 4. v.12. 1. Cor. 1. v.30. AMEN.

ERRATA.

Reponendum Thes. 6. 1. 2. pro 2. 3. Th. 10. 41. pro 21. 19. pro 9. Th. 13.
12. pro 16. Th. 30. 1. pro 2. Th. 43. 1. pro 11. Th. 48. Gen. pro Ef. Th. 49. 36.
pro 26. Job pro Joh. Th. 54. 1. pro 2. Th. 63. 14. pro 4. Th. 69. 23 pro 25.

Inserendum Th. 14. post 44. 1. Th. 49. post v. 5. Joh. 15. v. 5. erummosus.
Job. 5. v. 7. Th. 55. post iniquitate, Ps. 51. v. 7. & ab utero corrupti su-
mus. Th. 69. post v. 5.

FINIS.





AB 61 430

ULB Halle


002 694 131

3



SK





THESES THEOLOGICÆ,
DE PECCATO TVM AN-
gelorum, tum Hominum;
 Quarum ὄρθοδοξιῶν,
 AVXILIANTE SPIRITVS SANCTI GRATIA,
PRAESIDE DANIELE
 ARCULARIO, S. THEOLOGIAE
 Doctore, & ejusdem in Academia Mar-
 purgensi Professore.

PRO CONSEQUENDO IN THEOLO-
gia Doctoris gradu;
 E SACRIS SCRIPTURIS PRO VIRILI
 afferet ac propugnabit,

JOHANNES MOLHERVS
 BATTIMONTANVS, HEBRAEAE LINGVÆ
 in eadem Academia Professor.

28. Martii, loco & hora solitis.



MARPURGI CATTORUM,
 Excudebat Paulus Egenolphus, Typographus Academicus.

I ɔ c I ɔ x c V.

